



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-517659-p0002-0

DFG

Quicunque in dissertationis inscriptione plus voromit,
tibi, quam deinde servat, illa animadversio ne,
quada[m] dignus est,
~~Alqui~~ Rood me subsumis
Ex quo etiam concedis.
Prob[em] mihi minorem

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T. DECANVS
GEORGIVS RVDOLPHVS
BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOTAN. PROF
PVBL. ORD. PHYSIC. PROVINC

PANEGLYRIN MEDICAM

D. MENS. AVGVSTI MDCCCLXXVI
HABENDAM

INDICIT

DE OPTIMO MESSIS TEMPORE
PRAEFATVS.

De collectione vegetabilium in genere et pabularium plan-
tarum in specie nuper differuimus, nunc nonnulla de
Cerealium messe, rite instituenda, addamus. Propter
semina colimus frumentum, horumque et multiplicationem et
bonitatem desideramus. Vtrumque non, nisi recte obseruato
messis tempore, obtinebimus. Si citius et ante perfectam semi-
num maturitatem messores admittimus, horum plurima glumis
arête nimis adhaerent et a stramine haudquaquam separantur,
immo ea, quae excidunt, non farinosa, sed mollia, lactea et im-
perfecta erunt, nec, si postea exsiccantur, eundem usum praefab-
bunt, quem a perfectis et in illaeso culmo exsiccatis semini-
bus accipere solemus; messe e contrario nimis diu protracta, in
aruis grana perdimus, vacuasque spicas et glumas in horreum
deportamus. Quo itaque frumentorum grana et perfecta, et
copiosa acquiramus, iusto tempore falcem immittere debemus.
Pro vario autem tempore, non tantum diuersa frumentorum ge-
nera nunc tardius, nunc citius maturitatem adipiscuntur, sed etiam,
vt de foenisecio constat, ex aeris temperie, solique bonita-
te, et in primis secundum sationem, vere vel autumno institu-
tam, messis et protrahitur, et acceleratur; hinc certam messis
diem constituere, nullo modo possumus; potius ad ipsas plan-
tas debemus attendere et ex illis signa colligere, quo tempore
culmi, sine detimento granorum, sint dissecandi. Signa au-
tem vel ex culmo, vel ex spica ipsisque granis desumere sole-
mus. Ad culmum praecipue attendere voluit Cl. LECHE,*)
monuitque frumentum, antequam penitus sicca fuerint semina,
et quando culmi pars, spicae propior, vngue aut digito explora-
tata, durior reperiatur, collendum esse, ea de causa, quia tunc
canales, qui antea humores ad nutrienda grana ex radice adduxerunt,
quoad maximam partem, immo omnes coaliti, et ad

*) Vid. Schued. Acad. Abhandl. Vol. 26. p. 163 sqq.



fuscipendos mouendosque succos inepti existunt, ideoque et grana amplius nutriti, nullo modo possint. Etsi etiam eo tempore semina molli adhuc et lactea quasi consistentia scatent, eadem tamen, demesso frumento, commode siccari posse, contendit. Verum et fallax, et agricolis damnosum viderur hoc consilium. Saepe enim accidit, vt ex intensiori aeris calore et siccitate intra paucos dies culmus viridem colorem perdat, et stramineum e contrario accipiat, et simul siccior duriorque fiat, seminibus nondum ad conuenientem maturitatem perductis. Accedit, quod non tantum per latera caulis, sed etiam per medullam ascendant succi, et semina praecipue ex medulla nutrimentum capiant; hinc finito exteriori transitu, interior adhuc superesse, et inde granis maior perfectio accedere poterit. Immatura autem grana, dissectis culmis, nunquam eam perfectionem consequi poterunt, quam obtinere solent, si diutius intactum culmum occupassent. Exsiccantur quidem, sine iactura transportantur, et commode affluuantur, atamen corrugantur, iusto volumine destituantur, et si eadem vel mola confringimus, farinae, vel si serimus, germinationis defectum experimur.

Ne itaque culmus spem nostram fallat, potius cum aliis Oeconomis^{*)} spicas inspiciamus, et grana ipsa consideremus, antequam messem incipiamus. Semen, ex quo maturam segetem cognoscimus, debet nec ~~so~~ cortice lacteam, sed potius farinosam materiem continere, nec eam adhuc mollitiem habere, ut digitis facile comprimiratur, eiusmodi potius duritatem ostendere, ut dentibus commode ac sine compressione disstringi possit. Praeterea seminum quoque inuolucra disquiramus, et si eadem firmius adhuc inter se cohaerent, et semina, nonnisi frictione et aliquali vi adhibita, glumas relinquunt, falcem admirtere nondum debemus; perfecte enim maturum semen sponte et facile dominum

cilium

^{*)} In primis hoc spectat et applausum meretur consilium, quod legimus in den Berlinischen Beyträgen, 2 Band p. 39.

ciliū deserit, quamdiu autem inter utrumque aliquis, et si leuior, nexus locum habet, tamdiu etiam alibilem succum ad semen transire, illudque maiorem perfectionem capere posse, probabili coniectura affirmamus. Frumentorum vero quaelibet spica copiosa continet semina, eademque non simul omnia, sed successiue ad maturitatem perueniunt. In aliis plantis, quae spicatum florent, inferiores flores primum erumpunt, horumque semina citius longe, quam superiorum florū fructus perficiuntur. In graminibus plurimis, in primis cerealibus contrarium obseruatur. Quae superiorem spicae locum occupant grana primum, postea in medio posita, et demum inferiora exsiccantur et maturescunt. Quo plura itaque, et quo magis inferiora etiam spicae semina durius acquisiuerunt, nexumque cum thalamo, sive glumarum fundo amiserunt, eo tutius et fructuosius messēm instituimus. Nonne autem, collectione cerealium tam diu protracta, seminibusque ad hunc maturitatis terminum conseruatis, insignem iacturam parimur, et, falce postea, quoconque demum modo formata et applicata, ingens granorum copia prius ex glumis decidit, antequam spicae in horreum transferri possunt? Negandum hoc quidem non est; attamen certius lucrum obtinebit paterfamilias, si pauciora, maiora omnique ex parte perfecta, quam si copiosiora, minora et imperfecta semina colligere, et in varium usum conuertere poterit. Dum vero hoc affirmamus, lubenter etiam concedimus, messēm nimis diu protractam, ingens damnum adferre debere; si enim tam diu expectare vellemus, usque dum omnium culmorum spicae, harumque grana omnia ad eundem perfectionis et maturitatis gradum peruererint, semina facile omnia perdere, et nil, nisi stramen vacuasque glumas transportare possemus. Ad maiorem itaque perfectorum seminum copiam respiciendum, et inde messis definienda erit.

Multa vero sunt, quae messis tempora concernunt, ean-



demque ex recepta consuetudine, vel necessitate mutant et desinunt. Si leuiori opera, suspensa quasi manu, et minori messoria falce, *Sichel*, frumentum secatur, messis commode retardatur, si vero cum impetu et maiori instrumento, quod falcem foenariam, *die Sensō*, dicere solemus, metuntur segetes, festinare debemus; posteriori enim modo maior vis culmo infertur, et hinc grana facilius longe et copiosius decidunt. Metendi tempus porro variat, prout resectum frumentum vel statim domum transportamus, vel, quo perfecte exsiccatur, in aruis adhuc relinquimus. Prior consuetudo, quae et optima nobis videtur, perfectam praesupponit semen maturitatem, antequam messores accedant; alias enim eadem in frumentariis facile mucorem contrahere, alioque modo corruptionem admittere deberent. Tandem quoque ex ipsorum frumentorum differentia messis tempora mutantur. Hordeum in primis exempli loco commemoremus. Huius sectio institui omnino debet, antequam semina ad siccitatem et perfectam maturitatem peruererunt. Ultimo enim, quo ad maturitatem tendit, tempore vel ex nimio calore, vel accidente vehementiori vento ingens facile damnum experimur, dum inde culmus, praecipue sub spica laeditur, frangitur, ipsaque spica separatur, nudo remanente calamo. Debemus itaque falcem citius et eo iam tempore admittere, quo spica ad flaudinem tendit et semina maturare incipiunt, licet eadem, aruo postea exposita, illa facile vitia contrahant, quae superius commemorauimus.

Possemus quoque de minus visitatis frumentorum speciebus, *Triticō*, *Spelta dictō*, *Panico sanguinali*, *Zea* et aliis, porro de *Fagopyro*, *Piso*, *Vicia* aliisque, quae ad cerealia referri solent, speciatim differere, verum vel ex adductis facile adparebit, ubique ad vegetationem respiciendum et secundum huius diversitatem frumentorum quoque messem instituendam esse.

Transamus nunc ad commendationem

Nobi-

Nobilissimi Doctissimique Candidati
A D O L P H I T H E O D O R I E G G E R S
 Strelitio Mecklenburgici

Qui Ipse Vitam suam, hucusque in praclaris studiis laudabili-
 ter aetam, modeste exponer.

Ego, ADOLPHVS THEODORVS EGGRS, natus sum Neo-Strelitzii die XXVI. Mens. Ianuarii A. R. S. MDCCIL. Pater mihi contigit IOANNES CHRISTOPHORVS EGGRS, Consul regens et Pharmacopola Aulae Neo-Strelitzensis, Mater vero CHARLOTTA CHRISTIANA GLEIMIA, quam mihi praematura mors nimis cito eripuit. Prima fundamenta tam in doctrinis religionis nostrae christiana, quam in litteris humanioribus in civitate patria posui et praceptoribus habui primo Dn. GRANTZOW, Scholae Cantorem, illoque mortuo Dn. HEINRICH TUNC REUER. Ministerii Candidatum et nunc Francofurti ad Viadrum Professorem celeberrimum. Patriam postea scholam cum Palaco-Strelitzensi commutauit et ibidem solida, fideli et indecessa informatione Dni Rectoris BVCHHOLZII usus fuit. Anno aetatis meae decimo quinto patriam iterum domum, simulque pharmaceuticam officinam intraui et Optimi Patris consilio ac exemplo permotus pharmaciam didici, eamque eo studiosus colui, quo magis illam Medico profuturam esse, cognoui. Anno 1770 Hamburgum petii et a Cl. CROPIPO, Medicinae Doctore Celeberrimo liberaliter exceptus, non modo Eius sub moderamine studium pharmaceuticum et chemicum continuauit, sed etiam in Osteologia Dn. SIEVERTS, et in Botanica Doct. MÜLLERVUM praceptoribus habui; praeterea Theatrum anatomicum frequentauit et selectam Bibliothecam, nec non Gazophylacium rerum naturalium Cl. D. CROPII in proprios usus conuerte studui. Cum autem animus addiscendae uniuersae artis medicae cupiditate flagraret, A. 1773. Goettingam migraui et Clarissimum Professorum Praelectionibus interfui. In Logica FEDERVUM, in Anatoma, Physiologia et Arte obstetricia WISBERGIVM, in Botanica, Materia Medica et morbis infantili aetati propriis MVRRAY, in Patho-

❧ ♦ ❧

*Pathologia generali ac speciali, ut et historia Medicinae litteraria BAL-
DINGERVM, in Historia naturali et in Chemia ERXLEBIVM, EVN-
DEM que ac HOLLMANNVM in Physica experimentali Duces habui.
Ab Excell. RICHTERO, Cuius in Aedibus domicilium habui, Therapiæ
specialis et Chirurgiae praecepta accepi, et operationum chirurgicarum,
quas copiose optimo cum euentu instituit, spectator et admirator fui; ar-
tem quoque ocalorum morbis medendi ab Eodem priuatissime didici. For-
mulas praescribendi methodum a Cl. STROHMEIERO accepi, qui etiam
aegrotos, ipsius curar commisso, vñjendi occasionem dedit uberrimam.
A: 1775 Argentoratensem Academiam visitavi, et Chemiam SPIELMAN-
NO, ac Chirurgiam LOBSTEINIO Duce repetii, sectionem Cadauerum et
operationes chirurgicas ipse institui, ab laudato Prof. LOBSTEINIO sin-
gulariter adiutus; præterea quoque, præcente EHRMANNO Nosocomia
frequentavi, et a ROEDERERO non solum artis Obstetricice praecepta
accepi, sed et sub Eius manuaduictione eandem ipsem exercui. Dein etiam
Berolinum adii, eo consilio, vt in Anatome ac Chirurgia practica adhuc
proficerem, artemque medicam vñterius perficerem et exercerem.*

Tandem ad hanc Musarum sedem accessit, et a Facultate Me-
dica modeste petuit, vt ad consueta examina admitteretur, proba-
tusque Doctoris Gradum acciperet. Tentatus laudatissimorum in
nostra arte profectuum egregia dedit specimen, quapropter et-
iam supremi in hoc genere documenti, Disputationis inauguralis,
de Laesionibus Capitis, habendae, Ipsi facta est copia, quam totam
Auctor conscripsit, et sub Praesidio Viri Illustris atque Experien-
tissimi D. DAN. WILH. TRILLERI, Confiliarii Aulici, Medicinae Prof.
Primarii, cetera, Fautoris et Collegae nostri honoratissimi d. Mens.
Augusti ventilabit. Ad quem solemnem Actum RECTOREM ACA-
DEMIAE MAGNIFICVM, Perillustres Liberos Barones, Academiae Pro-
ceres, Fautores et Ciues pro officiis nostri ratione humanissime initia-
mus. P. P. Dominica XI. p. Fest. Trinitatis MD CCLXXVI.

*WITTEBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS.*



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches



M E D I C I

T E B E R G E N S I

A N V S

V D O L P H V S

M E R

A T . E T B O T A N . P R O F

S I C . P R O V I N C

M E D I C A M

S T I M D C C L X X V I

D A M

I T

S S I S T E M P O R E

T V S .